

52981. a.

DISPUTATIO METAPHYSICA

DE

PRINCIPIO

ET

PRINCIPIATO.

QUAM

SUB GRATIOSIS PRIMI PRINCIPII
AUSPICIIS

P R Æ S I D E

M. JOHANNÉ RICHMANNO,
PHILOS. PROFESSORE

PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT

EBERHARDUS LUDOVICI

AD DIEM 12. JULII

HORIS MATUTINIS

IN CELEBRI RIGENSIUM GYMNASIO

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA

GERHARDI SCHROEDERI.

ANNO M.DC. LIII.

12.

A 5075. 12

VIRIS,

Admodum Reverendo & Doctissimo

Dn. M. JOHANNI DOLMANNO, primario Ec-
clesiæ Rig. Pastori, & S.S. Th. Pro-
fessori indefesso.

Amplissimo & Dignissimo

Dn. JOHANNI MEIERO, Senatori Patriæ Pru-
dentissimo

Ut Et

Spectatissimis & Honestissimis,

Dn. MICHAELI Ridder/ } Civibus & Negotiatori-
Dn. ADRIANO à Freuberg/ } bus patriæ primariis.

PHILOSOPHICUM hocce EXERCITIUM

Est. A

D. I. C. O.

Tartu Riikl. • Ullaste
Raamatukogu

9129

EBERHARDUS LUDOVICI,
Resp.

N. C. id est ex hinc. E. e. ydulo theologia. nunc
nov. de. & hinc ex hinc. E. e. theologia. Filium in Merito

gelo theologia e. q. n. a. theologia y. e. n. a.
physica y. n. a. physica d.

sera. hinc ex hinc, q. n. a. certa dubia, ex hinc

naturam Entis insequantur, ne in limine statim *Lector* hære quasi videatur, cum constet inter omnes, ipsum *Ens* non uno modo sese intellectui nostro ad contemplandum offerre, sed vel ratione Superioritatis, sive precisionis, & universalitatis simpliciter sic dictæ: Vel ratione Inferioritatis sive Applicationis & Universalitatis singularizata. Priori modo si spectetur, *Ens* neq; Principium neq; Principiatum est, sicut nec Necessarium vel Contingens est; sed indifferens ad utrumq;. Posteriori autem respectu *Ens* suâ natura vel Principium vel Principiatum esse dicitur. Conceptus enim Entis ut Entis indifferenter se habet ad Principium & Principiatum: At quando descendimus, & ipsum entis conceptum, ut in Inferioribus radicatum intuemur, deprehendimus, quoddam *Ens* essentialiter includere ipsam rationem Principii, (ut *Deus Creator*) & quoddam *Ens* essentialiter importare rationem Principiati, (ut omnis *Creatura*, quanquam & hæc in ordine ad aliam comparata nunc Principium, nunc Principiatum dici & possit & debeat) non aliter ac substantia, quæ de se indifferens est ad Corpus & Spiritum, applicationis autem respectu, quædam est corporea, quædam Incorporea sive Spiritualis. Colligitur Ergo, Principium & Principiatum denominare *Ens*, non ratione Superioritatis, sed Inferioritatis consideratum. Descriptionem ipsam quod concernit, sciendum, eam constare Conceptum magis & minus communi. Prior absoluitur hisce vocibus, est membrum affectionis Entis disjuncta prima, secundum quem convenit cum reliquis entis affectionibus, utpote *Causa* & *Causato*, *Necessario* & *Contingenti*. &c. Dicitur autem notanter quod Principium. 1. Sit membrum affectionis Entis disjuncta, quia duo hæc, nimirum Principium & Principiatum unam constituunt affectionem disjunctam Entis, non secus ac *Motus* & *Quies* unam affe-

tio-

tionem disjunctam Corporis naturalis. 2. *Affectio*nis Entis, quia Enti per se competit, & ex ejus intrinseca ratione fluit, illudq; denominat. Quocirca etiam entitatem non quidem à subjecto realiter, sed tantum ratione ratiocinata distinctam includere debet, quoniam id, quod entitatem excludit, entis affectio appellari nequit. Impossibile enim est, affectionem subjecto suo repugnare, vel idem omninò negare. 3. *disjuncta*, quia non simpliciter & solitariè, sed cum disjunctione de omni Ente Enunciatur, ita, ut omne Ens vel sit Principium, vel Principiatum. Non sanè dicendum: Omne Ens esse Principium. Omne Ens esse Principiatum. Datur enim Ens Principio carens, ut Creator; datur etiam Ens Principium agnoscens, ut Creatura. 4. *Prima*, quia primò & proximè ex Ente sine interventu alterius attributi fluit, adeoq; in ipso immediate fundatur, non ut idem & Diversum, quæ Entis naturam mediante affectione simplici, sc. Unitate afficiunt. Posterior verbis subsequentiibus: ad quod immediate sequitur Principiatum. Hisce enim ratio Entis contrahitur ad Principium, & non ad causam, aut Necessarium &c. Quemadmodum autem Principii Natura Universaliter & abstractivè hic supponitur: ita quoq; illa consecutio debet intelligi præcisivè, ita ut nec præcisè sit Causativa, nec qualiscunq; illativa, sed indifferens ad utramq;. Et quoniam in data descriptione mentio fit Consecutionis, & quidem Immediata, facile quivis cognoscit, Principium hoc loco non accipi. 1. *Negativè*, prout idem est quod initium ac primum, quomodo non involvit respectum ad aliquod consequens, sed tantummodo negat antecessionem, qua ratione Sol dici potest Principium, ante quem non est alius: sed positivè seu potius relativè, in quantum importat habitudinem sive connexionem anterioris cum posteriori, ut crepusculum Noctis, aut

scilicet

*quod positivè aliq
se respicit
ad illud*

Pater Filii respectu. 2. *nec abusive* pro priori, ad quod aliud quid consequitur, licet nunc cum medio, nunc absq; nexu, uti Adamus est Principium nostri, punctum Lineæ: sed *proprie* ut in Theoremate, juxta Canonem Logicum: *Homonymia vocis alicujus adjectione perit.* Tandē & hoc melioris explicationis gratia observandū ac inculcandum probè, quomodo ad rationem Principii sequatur ratio Principiati sc. *non semper secundum consummationem, sed nonnunquam saltem secundum inchoationem*, quia Principio posito, non semper ponitur Principiatum perfectè. Sic Conceptio in Physicis est Principium sobolis, non tamen eâ posita, ponitur ipsa sc. *Consummative & perfectè, verum inchoative saltem & Imperfectè.* Ita posito Architecto etiam in actu secundo non statim ponitur domus *perfecta, sed perficienda.*

REFUTATIO. Non facimus itaq; cum illis, qui 1. definiunt Principium per id primum, unde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur. 2. Privationem Principium appellant. 3. rationem formalem Principii non nisi in respectu prioris ad posterius collocant.

Nex' n. signat in principium id, quod aliud fit, sed oportet y semper non invenit. Nex' 2. non bene videtur esse principium, qui bene videtur. sic bene videtur esse principium, qui bene videtur. sic bene videtur esse principium, qui bene videtur.

THEOREMA II.

aliud non causale
Principium aliud est Causale: aliud non Causale.

EXPLICATIO. In Theor, præcedenti egimus de ratione Principii in actu signato, quoad quidditativum Conceptum Principii præcisivè sumti. Nunc porrò in hoc & aliis eandem contemplabimur in actu exercito, secundum eunden ejus conceptum quidditativum, sed ut in Inferioribus animadversum. Intellectus enim noster à generali

rali ratione Principii descendendo ad speciales rerum natu-
 ras, animadvertit, quasdam ita comparatas esse, ut se invi-
 cem respiciant cum quadam dependentia, quasdam sine de-
 pendentia. Unde nata divisio. Quare *Principium Causa-*
le illud est, ad quod per influxum sequitur Principiatum.
 Unde cum *Causa* coincidit. Quo pacto Sol est Principium
 diei. Architectus domus. Figulus ollæ. Pater & Mater
 Sobolis. &c. *Principium non Causale* est, ad quod citra
 influxum sequitur Principiatum ut crepusculum noctis,
 aurora diei, essentia Infinita omnipotentia &c. & Pater in
 Divinis Principium dicitur.

Hinc sequitur
 cum, ubi
 hoc princip

E. usque
 pium suffic
 prioris un
 eam ad p
 cum tu p
 res, sed re
 in dng ad ee

REFUTATIO. Ex dictis ergò constat, non omne
 Principium esse Causam, nec reciproce dici, sed in-
 ter se differre, ut latius & angustius, includens & in-
 clusum.

THEOREMA III.

Principium aliud est Essendi, aliud Cogno-
scendi.

EXPLICATIO. *Principium Essendi*, ab aliis rei, est,
 ad quod sequitur esse Principiati. Et hoc est i. vel *Quod*, ad
 quod principaliter sequitur esse Principiati. Sic Ens est
Principium Quod suorum attributorum. Sic Spiritus est
Principium Quod simplicitatis. Sic Principium *Quod* Fi-
 lii sunt *Parentes*, Victoria *Dux*. Sic homo est Principium
Quod suarum actionum, intellectiois, volitionis &c. Et
 hoc sapius coincidit cum *Subiecto Denominationis*, quale est
 homo. Hic enim dicitur intelligens, volens. Vel *QUO*.
 Prin-

si nulli
 principia
 calor p
 & W.

pater al
 cum p
 p
 p

Principium Essendi *QUO* est medium , quo Principium
Quod est efficax ad Principiati illationem. Sic Principi-
um *QUO* Bonitatis est Veritas, Universalitatis & singulari-
tatis Unitas. It. Infinitas Independentiæ. Semen Pa-
rentum Principium *QUO* Filii. Milites Principium *Quo*
Victoriæ. Sic Principium *Quo* intellectionis, volitionis
est intellectus, voluntas. Et hoc non raro coincidit cum
Subiecto Inhabitionis. 2. principium Essendi *vele*st verè ac reali-
ter causans, ideoq; realiter distinctum à suo principiatio seu
Causato, ut animalitas ratione sensibilitatis. Unde etiam
ab aliis dicitur *Causa formaliter talis*. *vel est saltem ratio qua-*
dam inferens, & ratione ratiocinatâ tantum à principiatio si-
ve ab illato distincta. Ab aliis appellatur *ratio à pri-*
ori, ratio emanandi. Item *Causa Virtualiter talis*, quia si illud,
cujus Causa dicitur, ab aliquo Causaretur, sufficiens in
suo ordine causa illius esset, Zanard. lib. 4. Met. Lect. XI.
quæst. VIII. p. m. 46. Sic in *Metaphysicis* una affectio potest
per aliam demonstrari, ut finitas per Causalitatem, quia
quicquid habet Causam, finitum ens est. Sic appetibi-
litas per Convenientiam. Nam quicquid alicui conve-
niens esse videtur, illud ab eo appetitur. *Ita in Physicis ca-*
lifaçtio Causa est exsiccationis, Exsiccatio Indurationis. In
Pneumaticis Simplicitas Causa est Incorruptibilitatis. Item
Infinitas essentia est causa, sive ratio Inferens Omnipoten-
tiâ, Omnipræsentiam &c. Non ac si Infinitas essentia pro-
priè causet Omnipotentiam, adeò ut hæc ab illa dependeat;
sed quia, si Causaretur, simplicitas Incorruptibilitatis, & In-
finitas Essentia, Omnipotentia, aut omnipræsentia, aut et-
iam æternitatis Causa sufficiens foret.

Principium Cognoscendi est, ad quod tantum Cognitio
Principiati sequitur. Accipitur itaq; hoc loco Principium
Cogno-

Principium
est. cum
Hinc
Tos.

Key of the
layers
in eight
the cau
habitat.

Cognoscendi non inclusivè, in quantum etiam includit principium Essendi. Nam unde res habet esse, inde etiam $\tau\theta$ Cognosci. Atq; sic principia Essendi etiam sunt principia Cognoscendi, & quidem ratione *Cognitionis distinctæ*, quæ est *à priori*. Sic principia Essendi hominis sunt anima & Corpus, quibus probè cognitis atq; perspectis, hominem exactè quis cognoscit. Juxta illud: *Per quæ quid constituitur, per eadem etiam Cognoscitur*. Sic frigiditas autumnii est principium Essendi & simul Cognoscendi arboris defrondescentis. Frigida enim tempestas constringit & constipat humorem circa radices, ne queat ascendere in ramos ad nutriendum folia, itaq; contabescunt ac decidunt deficiente nutrimento: sed *exclusivè*, in quantum contradistinguitur principio Essendi. Et hoc modo id dicitur principium Cognoscendi, quod *solum* principium Cognoscendi, ratione sc. *Cognitionis Confusæ*, quæ est *à Posteriori*, non etiam Essendi dicitur, adeoq; nihil confert ad $\tau\theta$ Esse, sed tantum ad $\tau\theta$ Cognosci rei. Sic risus est Principium Cognoscendi hominis, ita tamen, ut non sit ipsius hominis quæ hominis, sed quæ Cogniti Causa. Sic Motus est principium Cognoscendi naturam, non ac si ipsam naturam causet aut constituat, cum constitutam potius consequatur, sed quod beneficio Motus vehamur in Cognitionem naturæ. Ita Supernatio est principium Cognoscendi levitatem Straminis aut Pumicis super aquam, non verò Causa levitatis quæ talis, sed ut cognitæ. Sic penetratio Ignis per tenuissimos meatus durissimi ferri, tanquam principium Cognitionis deducit nos in Cognitionem tenuitatis. Pariter Creaturæ sunt principia Cognoscendi Deum, non quatenus Deus, sed quatenus Cognitus est. Non enim sunt Causa Dei, sed tantummodò Cognitionis illius, quam de Deo ex illarū intuitu, & assidua contemplatione consequimur. *Principium Cognoscendi vel est Complexum, vel Incomplexum. Incomplexum*

est res simplex, ad quam sequitur Cognitio talis Principiati. Sic effectus causæ, accidens subiecti, fumus Ignis, latratus Canis, hinnitus Equi, hedera vini vendibilis, loquela hominis, vestigium pedis Principia Cognitionis sunt. *Principium Cognoscendi Complexum* est propositio, è quâ per se notâ inferuntur Conclusiones Ignotiores. uti: Omne Totum est majus sua parte. Posito Principio ponitur Principiatum. Impossibile est idem simul Esse & non Esse.

REFUTATIO. Non Ergò Omne Principium Essendi statim est Causale, quemadmodum nec Omne Principium Cognoscendi statim Complexum est, ut tamen quidam volunt. *ex quo sepe cognoscimus effectum. hic scilicet ut principium est causa, sed prima tubens, & sic prima in se habet.*

THEOREMA IV.

Principium Cognoscendi Complexum variè dividi potest 1. *ratione Originis* in Innatum & acquisitum. 2. *ratione Perfectionis & dignitatis* in Principium per se, naturâ sua, sive in se tale, & in Principium per accidens, respectu externo & ex conventionem tale. 3. *ratione latitudinis* in Commune vel Proprium &c.

EXPLICATIO. De Principiis Cognoscendi Complexis, eorumq; divisione varia hîc quidem nobis agendum non esset, cum tales saltem hîc sint inquirendæ affectiones, quales permittuntur à Natura subiecti, quod Ens non Complexum, sed incomplexum audit. Incomplexas Ergo affectiones hîc investigare, scrutari ac Cognoscere nostri tantum esset instituti. Sed quia Opposita juxta se posita magis elucescunt, & Oppositorum eadem est ratio; ideo non minus nos excusatos fore arbitror, ac istos, qui in Metaphysica agunt de ente per accidens, rationis, privationibus veritate complexa &c. *Indirecta itaq; per accidens & occasionalis hæc nostra*

*est res tan-
-festu est
-Vincis
-is asser
-beat, et
-ingis et
-ratione.*

*ing fit me
-in d. p. h. c.*

nostra est de principio Complexo instituta tractatio, non di-
 recta per se & ex Instituto, quæ Noologiæ seu potius Archelo-
 giæ relinquitur, ad quam plura desiderantem remittimus.
 Principia. 1. ratione Originis dividuntur in Innata, &
 in Acquisita. *Innata* sunt propositiones à prima infantia in-
 sitæ, & à naturâ, antequam ratio se exercere queat, inscri-
 ptæ. Dividuntur in *Principia speculativa* & *Practica*. Illa diri-
 gunt cognitionem Veri, ut Deus est. Quodlibet est, aut non
 est. Totum est. Majus qualibet sua parte. Bis duo sunt quatu-
 or. Ista dirigunt actionem boni, ut Deus est colendus, suum
 cuiq; tribuendum, Nemo lædendus, honestè vivendum.
Principia acquisita sunt propositiones studio & labore com-
 paratæ, cujusmodi priucipia sunt: Oppositorum est Incom-
 possibilitas essendi in eodem. Non omnis distinctio realis est
 essentialis &c. 2. ratione Perfectionis vel in se, vel ex conventio-
 ne talia. *Principia in se talia* sunt, quæ propria vi & naturâ sua
 referuntur ad principiata, sive conclusiones. ut: Impossi-
 bile est Idem simul esse & non esse. Posita Causa, ponitur Cau-
 satum. præsentē sine cessat actio. Nihil attribui potest Toti,
 quod non etiam dicatur de aliqua ejus parte &c. Vocantur
 aliàs *Axiomata*, *prima Veritates*, *Dignitates*, eò quod de se di-
 gna sint, ut omnes iis assentiantur propter suam certitudi-
 nem & evidentiam. *Principia ex conventionē talia* sunt, quæ
 docendi gratiâ in disciplinis supponuntur, ut: o-
 mnem circulum constare 360. gradibus, gradum 15. millia-
 ribus. E quovis puncto ducere lineam ad quodvis punctum.
 Aliàs dicuntur *Petitiones*, *Hypotheses*, *Propositiones concessæ*, *Pos-
 tulata*, eò quod probatione opus non habeant, sed assensum
 duntaxat Auditoris requirant, ne ulla in demonstrando con-
 tingat hæsitatio, aut difficultas. 3. ratione latitudinis in Com-
 munita & propria. *Principia Communia* sunt, quæ pluribus di-
 sciplinis applicari possunt, ut sunt. *Logica*: Majore existente

H. Sil. finit
 & falsum

Anglia 22
 22.

vili v
 re l'ur - l.
 gerent
 societate
 gentem
 Carones
 22.

par-

Hæc autem per se. inveniuntur, si in quantum opus
 de educatione & yessatione fuerit perspicuum.

particulari in prima Figura nihil sequitur. In syllogismo non sint plures termini tribus. &c. *Metaphysica* v. g. Impossibile est idē simul esse & non esse. Omne Agens agit propter Finē. Quicquid dependens est, habet essentiā numero distinctam ab eo, à quo dependet. &c. *Principia propria* sunt, quæ singulis scientiis speciatim conveniunt, earumq; objectis appropriantur. Sic *Principia physica propria* sunt. Ex nihilo nihil fit. Omne Materialium est quantum. Sic principium Arithmeticum est. Si ab æqualibus Numeris, æquales demas, restantes erunt æquales &c.

REFUTATIO. Temerè Ergò neganda non sunt Principia nobiscum nata.

THEOREMA V.

Principiatum est membrum affectionis Entis disjuncta prima, quod immediate sequitur Principium.

EXPLICATIO. Principium & principiatum cum se mutuò respiciant, mutuò etiam se, Relatorum more definiunt. Unde qui principium cognoscit, novit etiam principiatum. Et quot modis dicitur principium; tot etiā dicitur principiatū. Sic respectu Dei tanquam Creatoris principiatum est Creatura. Et respectu patris, principiatum Filius & Spiritus Sanctus, respectu auroræ dies. Ita respectu principii hujus, Ex nihilo nihil fit, principiatum sunt omnia generabilia. Quorum omnium fusiorem enodationem ex præcedentium Theorem. explicationibus petere licet.

REFUTATIO. Nulla itaq; nos cogit Necessitas, sicut nec ullā absurditas, quo minus omni principio principiatum correspondere statuemus, dummodò formale principii ut & principiatum in tota sua latitudine consideretur, & cuilibet Principio proportionatum assignetur principiatum. Quo observato rectè Filium in Divinis principiatum patris appellari posse cū aliis asserimus, adeoq; formale principiatum, ut sic, in dependentia consistere negamus. Deo rerum principio & Fini gloria!

FINIS.

2. Sacra hinc cum o principiat, ut principium se principio
2. Apr. 1. 8. c. 4. 6. c. 21. 6. ff. nec regat, in raro illo senp
... ..